

adoptione filius fuerat. Iste, quia Claudius Tiberius Nero (29) dicebatur, eleganter à jocularibus Biberius Mero ob violentiam nominatus est. Satis prudens in armis, fatisque fortunatus ante sumptum Imperium sub Augusto fuit, ut non immeritò Reip. dominatus ei committeretur. Inerat ei scientia literarum multa: eloquio clarior, sed ingenio pessimo, truci, avaro, insidioso, simulans ea se velle, quæ noller, his quasi infensus, quibus consultum cupiebat: his verò, quos oderat, quasi benevolus apparens. Repentinis repositionibus, aut consiliis melior, quàm quæstis. (30) Denique delatum à Patribus principatum, quod quidem astu persequeretur, finxit se abnuere, quod singuli dicerent, vel sentirent atrociter explorans, quæ res bonos quosque pessumdedit. Estimantes enim ex animo eum longa oratione imperialis molestiæ magnitudinem declinare, cum sententia ad ejus voluntatem promunt, incidere exitia suprema. Nusquam ipse pugnavit, (31) sed ne per legatos quidem aliqua gravia bella gessit: nisi quòd tantum aliquantis in locis præcogniti cito gentium rumores comprimebantur. Sanè quarto imperii ejus anno Germanicus Drusi filius, Caligula pater, de Germanis, ad quos ab Augusto senè missus fuerat, triumphavit. Quosdam reges per blanditias ad se evocatos, nunquam remisit, in quibus Archelaum Cappadocem, cujus etiam regnum in provinciam formam redegit, & maximam civitatem appellari fuis nomine jussit, quæ nunc Cæsarea dicitur, cum antea Mazaca (32) diceretur. Getulorum atrocitiam represit. Marobodum Suevorum regem callidè circumvenit. Plurima sui parte imperii, cum magna, & gravi modestia Reip. præfuit, adeo in quibusdam provinciis augenda præsidibus tributa suadentibus scripsit. Boni pastoris esse, tondere pecus, non deglubere. Et postquam passus est Dominus Jesus Christus, & à mortuis resurrexit, & discipulos suos ad predicandum misit, Pilatus præses Palæstina provinciam ad Tiberium Imperatorem, atque ad Senatum retulit de passione, & resurrectione Christi, consequentibusque virtutibus, quæ vel per ipsum palam factæ fuerant, vel per discipulos ipsius in nomine ejus fiebant, & de eo, quod certatim crescente plurimorum fide Deus crederetur. Tiberius cum suffragio magni favoris retulit ad Senatum, ut Christus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, quòd non sibi prius secundum morem delatum esset, ut de suscipiendo cultu prius ipse decerneret, consecrationem Christi recusavit, edictoque constituit, exterminandos esse Urbe Christianos: præcipuè cum & Sejanus præfectus Tiberii suscipiende religioni obstinatissimè contradiceret. Tiberius tamen edicto accusatoribus Christianorum mortem comminatus est. Nam & plurimos Senatorum proscripsit, & in mortem coegit. Viginti sibi

A patritios viros consilii causâ legerat, horum vix duos incolumes reliquit, cæteros diversis causis necavit. Sejanum præfectum suum res novas molientem interfecit: filios suos Drusum, & Germanicum, qui adoptivi erant, manifestis veneni signis perdidit. Filios Germanici filii sui interfecit. Hic tertio, & vigesimo imperii sui anno, ætatis verò septuagesimo octavo, & mense quarto, cum immani furore infentes, noxios, suos pariter, ut diximus, externosque puniret, resolutis militiæ artibus, Armenia per Parthos, Mœsia à Dacis, Pannonia à Sarmatis, Gallia à finitimis gentibus direpta sunt. Ipse cum ingenti omnium gaudio, insidiis Caligulæ in Campania (33) extinctus est. Hujus etiam imperii anno duodecimo nova, & incredibilis clades apud Fidenatium Urbem accidit. Nam Amphitheatrum cavea, populo gladiatorum murus spectante, collapsa est, & plusquam viginti millia hominum occidit. Deinde anno eisdem septimodecimo, cum Dominus Jesus Christus voluntariè quidem se tradidit passioni, sed impiè à Judæis apprehensus, & patibulo suffixus est, maximo terræmotu per orbem facto, saxa in montibus scissa, maximarumque urbium plurimæ partes, plus solita concussione ceciderunt. Eadem quoque die, à sexta hora diei usque in horam nonam, sol in totum obscuratus, tetraque nox subito obducta est terris: & sicut dictum est,

Impiaq; æternam timuerunt seculam noctem.

C Usque adeo autem, neque lunam lumini solis, neque nubes obtitisse manifestum est, ut quartam decimam eo die lunam, totâ cæli regione interiecta longissimè à conspectu solis abfuisse, & stellas tunc diurnis horis, vel potius in illa horrenda nocte toto cælo fulsisse referatur, quod non solum Sanctorum Evangeliorum fides, sed etiam aliquanti Græcorum libri attestantur. Quamquam nonodecimo anno Tiberii hæc facta referuntur. Scribens inter cæteros autem, & Phlegon, qui Olympiadas super ipsis enumerat, in tertio decimo sermone eisdem verbis asserit hæc. Porro quarto anno ducentesimæ secundæ Olympiadis facta est defectio solis maxima, & nox horâ sextâ diei facta est, itaut etiam stellæ in cælo apparerent. Terræmotus etiam magnus in Bithynia factus plurimam Nicææ partem urbis subvertit.

D C. CALIGULA.

Anno ab Urbe condita DCCCXC. Tertius ab Augusto Cajus cognomento Caligula regnare cœpit, Germanici filius, Drusi privigni Augusti, (34) & ipsius Tiberi nepos, (35) & quia natus in exercitu fuerat, cognomentum calceamenti militaris idem Caligula sortitus est, homo omnium ante se sceleratissimus, & qui etiam Tiberii dedecora purgaverit. (36) Ante principatum charus omnibus, acceptusque fuit: in principatu verò talis, ut non immeritò vulgaretur, atrociorum illo dominum non fuisse. Nam, ut breviter magnitudinem cru-

(29) A. pro jocularibus, jocularitibus.

(30) A. pro quæstis meditati, & omis. cæt. sequitur. Nusquam &c.

(31) Hersfeld. pugnavit, bella per legatos gessit suos. Quosdam reges ad se per blanditias evocatos, nunquam remisit &c. in quibus cum Eutropio convenit usque ad illa verba mortuus est in Campania. Hujus imperii XV. anno D. Jesus Christus prædicationis sue sumpsit initium. Octavo quoque, & decimo ejusdem anno Jesus Christus filius Dei pro nobis sese morti offerens crucifixus est. Successit Tiberio C. Cæsar cognomento Caligula Drusi privigni Augusti, & ipsius Tiberii nepos sceleratissimus, & qui etiam Tiberii dedecora purgaverit. Bellum contra Germanos &c. in quibus cum Eutropio convenit usque ad illa verba obiit XXXII. ætatis anno, ubi H. obiit XXXI. ætatis anno imp. XIV., atque in eo omnis Augusti familia consumpta est. Denique omnibus flagitiis suis etiam hoc addidit, quod SS. Dei Apostolos Petrum, Paulumque trucidavit.

E vit. Huic Servius Galba successit &c. in quibus iterum cum Eutropio. H. convenit usque ad finem libri VII.

Ambros. ab Hersfeld, & Eutropio Merula nonnullis in locis variam habet lectionem, eaque suis locis notabimus hic tamen post remisit, concordat cum utroque usque ad verba, quæ nunc Cæsarea dicitur &c.

(32) A. Mazaca.

(33) A. in Campania mortuus est, & omis. cæt. continuat: Hujus imperii XV. anno Johannes prædicationis sue sumpsit initium. Octavo quoque decimo ejusdem anno JESUS CHRISTUS filius Dei pro nobis sese morti offerens crucifixus est. Successit Tiberio C. Cæsar cognomento Caligula. Drusi &c.

(34) A. filius.

(35) A. sceleratissimus, & qui &c.

(36) A. pro purgaverit, purgaret. Bellum contra &c.